



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CCXVII. An solum Angelus inferior à superiori, vel superior ab inferiori
illuminari possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

scipulus à Magistro, hoc autem fieri potest vno ex duobus modis, vel quia Angelus signo aliquo corporeo vtitur, aut in assumpto corpore, aut sine illo, vel quia immutat phantasiam, vel per illam mouet intellectum, qualem autem habeat efficacitatem in phantasiam, & sensus nostros, disp. 217. ostendemus.

Verum Albertus libro de quatuor conu. 1. parte q. 6. art. 11. asserit, Angelos illuminantes potestatem habere supra intellectum hominis, vt in ipsum immittere possint lumen, quia sicut materia corporea obedit Angelo vt assumat corpus ex illa, ita etiam putat, intellectum & sensum hominis obedire Angelo, vt ex phantasmatibus, quæ habet, abstrahat species intelligibiles, & eas in intellectu humanum immittat, ac per hoc ipsum illuminare dicatur: quoniam affirmat, posse ab angelo vultu produci phantasmata, vel iam producta ordinari: quæ omnia nulla ratione ipse confirmat. Albertum etiam sequitur Bassoli in 2. dist. 11. q. unica §. Et tunc dicitur, in quinto modo operandi, quæ censet esse probabilem.

Contrarium tamen iure optimo docuit Ricard. in 2. d. 10. a. 2. q. 2. & communiter Theologi. quos disp. 217. referemus, qui asserunt, non posse ab Angelo vllam creaturam immutari, nisi per localem motum. Præterea Alexand. 2. parte question. 40. membr. 4. docet hominem ab Angelo ex eo illuminari, quod Angelus intellectum suum in hominis intellectum mirabili quadam ratione infundit, & potenti quadam virtute efficit, vt sua intellectio sit hominis intellectio, comparat enim Angelos speculis, ac proinde existimat, ab Angelis in homines species & notitias derivari, sicut ab speculo per modum irradiationis cuiusdam, vel speculi deferentis, confirmat autem testimonio Augustini libro 12. super Genes. ad lit. cap. 30. vbi reuera Augustin. dubitanter solum loquitur in hæc verba, Vtrum autem visa sua (scilicet Angeli) facili quadam & præpotenti coniunctione vel coniunctione etiam nostra esse facientes, an scientes, nescio, quomodo, nostram in spiritu nostro informare visionem, diffusi percepti, & diffusi dicti res est. Melius tamen Bonaventura loco citato inquit, se non sciat intelligere, quo alio modo, quam per veritatis propositionem possit homo ab Angelo illuminari, sicut discipulus docetur à magistro, modum autem illum irradiationis, vel speculi deferentis non admittit. Quod si Angelus speculum potest appellari, non ob id appellatur, quia ex ipso in nostrum intellectum eadem cognitio refertur, sed quia cum ipse sit intelligentia, habet in seipso rerum similitudines, cumque per modum magistri notitiam earundem rerum nobis, & alteri Angelo communicet, quadam non inepta ratione potest speculum appellari.

DISPUT. CCXVII.

An solum Angelus inferior à superiori, vel superior ab inferiori illuminari possit.

Inferiorem solum à superiore illuminari communis opinio fert. cap. 1.

Corollaria præcedentis doctrina. cap. 2.

Vasquez in 1. p. tom. 2.

CAPVT I.

Inferiorem solum à superiore illuminari, communis opinio fert.

Verandus peculiarem opinionem sequutus, ausus fuit affirmare, omnes Angelos proxime à Deo illuminari, vt præcedenti disput. cap. 1. memorauimus: ac proinde in eius sententia nihil difficultatis superat. Cæterum cum ostensum fuerit contra ipsum, non omnes Angelos à Deo illuminari, sed quosdam ab aliis, alios veto à Deo ipso: reliquum est, vt videamus an quilibet ab alio indiscriminatim possit illuminari, vel inferior tantum à superiori: qua in re inter eos, qui docent contra Durand. non omnes Angelos proxime à Deo illuminari, nulla est opinio varietas, sed omnes vnanimi consensu affirmant, inferiores solum à superioribus illuminari: ita asserunt S. Thom. Caiet. & recentiores Thomista inf. qu. 106. art. 3. & q. Argid. in 2. dist. 9. qu. 1. art. 4. præsertim dub. 2. Maior. in ead. dist. q. 2. Heru. qu. 1. a. 2. Maior. in 2. qu. 7. art. 4. con. 2. vtrum autem hoc illis suapte natura, an sola voluntate Dei conueniant, non explicant. Alij Scholastici in hanc sententiam ita conueniunt, vt dicant, secundum legem à Deo statutam ita accidere, vt inferiores solum à superioribus illuminentur: ac proinde fieri posse, vt inferiores proxime à Deo illuminentur, & superiores ab inferioribus: sicut docet Scotus in 2. d. 9. q. 2. §. Ad aliam quest. Gabr. qu. 2. art. 4. conclus. 4. Bassoli qu. 1. art. 2. §. Ideo dicit Ricardus art. 2. qu. 2. & 3. vbi asserit, inferiores illuminati à superioribus, non contra: & quæst. illa 3. ad vlt. vbi ait, posse quidem Deum per Angelos inferiores illuminare superiores. Explicare igitur oportet quid Angelis suapte natura conueniat, quid etiam sola Dei voluntate ipsis communicari possit.

Primo si loquamur quoad simplicem explanationem, & propositionem veritatis mysteriorum Dei, aut voluntatis ipsius, ita potest Angelis inferioribus, sicut etiam superioribus communicari: & hoc manifeste monstrat ratio Scoti: nam cum hoc ex sola gratia & dono Dei Angelis conueniat, ita poterit inferioribus, sicut & superioribus à Deo donari: qua etiam ratione fieri potest, vt homo Angelis omnibus reuelet mysteria. Quo sensu non pauci intelligunt illud ad Eph. 3. Vt innotescant principibus, &c. eo quod Angeli edocti fuerunt per homines in Ecclesia Dei Euangelizantes, Hæc tamen simplex veritatis ostensio, & propositio presse & proprie non dicitur illuminatio, vt præced. disput. capite vltimo dictum est.

Secundo dicendum est, aliquid peculiare pertinere ad rationem illuminationis superiores Angelos suapte natura habere, quod inferioribus per naturam nequit conuenire, nempe ita proponere & explicare mysteria per varios aliarum rerum conceptus & similitudines, sicut inter homines contingit, vt melius ab inferioribus Angelis percipiantur: sicut recte docuerunt S. Thom. & Caiet. loco cit. Hanc naturam virtutem & facultatem Angelorum superiorum pulchre descripsit nobis Dionys. vii. capit. de ead. Hierarch. applicans enim Angelis membra humana metaphorica quadam ratione, de dentibus ita loquitur, Dentes (supple sunt) id, quod alimēti adhibita diuidit: vnaqueque enim essentia quæ mente præditæ est, vnicam intelligentiam, à diuiniore tradita accepit vi quadam, quæ alii naturam

ya confult, diuidit, atque amplificat pro capiti & ductu inferiori: ergo rem diuidere in plures conceptus, quod est veluti alimentum distribuere, idem est, quod rem pluribus exemplis explicare, id quod Angelis superioribus vi suæ naturæ conuenire affirmat Dionys. Porro hoc genere explicationis compleri rationem illuminationis, supra notatum est. Hæc autem mysteriorum explicatio Angelis superioribus conuenit ratione perspicacitatis naturalis ingenij, qua pollent: qui enim valet ingenio, optime licet eandem rem varie explicare.

Ceterum hoc genus explicandi conceptus de re aliqua, in his tantum rebus locum habere potest, quas per alienos conceptus Angeli intelligunt, qualia sunt mysteria supernaturalia. Namque circa res naturales non potest locum habere: siquidem tam Angeli inferiores, quàm superiores eas intuentur, & intelligunt, sicut in se ipsis sunt: explicatio autem (per similitudines & varios conceptus earum) tantum rerum esse potest, quæ cognoscuntur sicuti sunt, sed instar aliarum: nisi dicamus, aliquas etiam res naturales non cognosci ab omnibus Angelis, sicut indicat videtur Dionys. 12. capit. de celesti hierarchia, cum ait, Angelis superioribus magis vniuersalem scientiam conuenire, quam inferioribus: sic enim etiam circa res naturales posset esse illuminatio per modum explicationis, ut dictum est: posset enim vnus Angelus alium instruere de rebus naturalibus, quas ignorat & pro capiti illius in plures diuidens conceptus illas proponere: vel si dicamus, res omnes naturales ab Angelis naturaliter cognosci, non tamen, earum omnium proprietates, & effectus: sic enim circa illas illuminatio locum habere posset.

Verum obiicit nobis Bassolis, quæ citata §. Contra ipsam opinionem, hanc rationem: si hæc explicatio veritatis & illustratio fieri posset per illuminationem: vno ex duobus modis fieret. Aut ita Angelus, qui illuminat, & proponit veritatem, eam concipiat, & diuidat in plures conceptus, mutans modum naturalem, quo res cognoscitur: & hoc fieri non potest, quoniam Angelus qui intelligit rem proprio conceptu, non potest illam in plures alios diuidere: ad hoc enim necessarium erat, illam concipere non proprio, sed alieno conceptu instar aliarum rerum. Aut ita, ut Angelus superior, qui illam rem concipit proprio conceptu, per signa aliqua inferiori illam significet, instar aliarum rerum. & per varias similitudines, sicut Deus potest nobis voce aliqua rem quamlibet hoc modo explicare, & hoc in Angelis commentitium est, quia, ut supra disp. 111. cap. 10. ostensum est, Angeli non vtuntur signis huiusmodi, dum aliis loquuntur, nisi assumpto corpore, vel alio modo in aëre per motum voces aliquas formet: id quod necessarium non est, ut aliis loquantur, vel alios illuminet. Hac ratione conuictus Bassolis ita explicat testimonium Dionys. superius allatum, ut Angelos diuidere suos conceptus, ratione cuius dicuntur dentes habere nihil aliud sit, quam aliis proponere id: quod ipsi concipiunt: ideoque dicantur diuidere suos conceptus non quia in plures alios conceptus tribuant, sed quia singulis Angelis eos ministrant.

Hæc tamen ratio nihil probat: & testimonium Dionys. hic author plane non intellexit: ait enim Dionysius, Angelum superiorem illam vnicam

intelligentiam, quam accipit, diuidere, & amplificare pro capiti inferiori, ut supra recte notatum: quæ quidem verba non possunt significare, id quod Bass. contendit: siquidem amplificare intelligentiam & conceptum rei non est, pluribus Angelis illam proponere: sed vni & eidem Angelo inferiori varie explicatam ostendere. Ad rationem vero illius respondeo, Angelum superiorem non mutare modum, quem habet, ut res ipsi cognoscat, hoc est, eodem modo eandem rem ipsi intelligeret: nihilominus quia recte nouit modum idoneum, quo inferior Angelus rem illam capere potest, nempe per eius rei similitudinem & analogiam, verbo suæ mentis explicare illi potest vnam rem instar alterius dicendo hæc & illa comparatione rem illam posse cognosci quemadmodum si Angelus assumeret corpus, & induceret personam magistri, docere eos posset & verbo vocis exprimere per similitudines & varios conceptus res omnes, quas ipse simpliciter nouit intueretur, quia recte nouit modum quo nos in alicuius rei cognitionem ducimus.

Tertio denique id, quod diximus commente Angelis superioribus suapte natura concepi potest inferioribus à Deo per gratiam. Posset enim Deus illis reuelare superiori quadam ratione non solum rem & mysterium, verum etiam modum, quo illud exponerent & explicarent inferioribus: & hoc pacto concedi debet sententia Scoti, neque eam negant S. Thomas & eius discipuli: cum enim dicunt, inferiores tantum à superioribus illuminari: intelligunt suapte natura, sedula gratia peculiariter vera ex dono Dei peculiari contra fieri posse non negant. Atque hanc gratiam Christo fuisse concessam, ego non ambigens, ita ut anima eius illuminaret Angelos superiores, quos suapte natura illuminare non poterat.

CAPVT II.

Corollaria præcedentis doctrina.

EX superiori doctrina nonnulla colligere licet, quibus ipsa magis elucidabitur. Primum est, illuminationem Angelorum non posse verificari circa ea, quæ Angeli dicuntur in verbo videri: sic docuit Capiteolum in 2. diffinit. 11. quæst. 2. art. 3. in fine ad argum. contra 3. conclus. & Henricus in 2. diff. 9. q. 1. art. 2. ad 3. argumentum. Hoc autem ego verum existimo primum, etiam si loquamur de illuminatione, quatenus est simplex quadam præpositione veritatis: deinde si sermo sit de iis rebus, quæ proprie dicuntur in videri: dico autem puelle & proprie in verbo illud videri, quod aut videtur ex vi cognitionis & visionis essentia Dei, vel peculiariter reuelatione Dei, quæ verbo diuino appropriatur: siue hæc reuelatio fiat eadem simul visionem qua videtur verbum: siue (quod probabilius existimo) alia distincta. Ratio vero est manifestata: quoniam ea, quæ beatus videt aut ex visionis, qua videt Deum, aut Deo ipso reuelante non accipit ab alio Angelo: ergo de illis non illuminari ab alio. Fateor nihil fecius circa res, quæ in verbo videntur, posse vnum Angelum ab alio illuminari, si dicamus rem in verbo videri, eo modo, quo dixerunt Scotus, & alij, nempe ea dicantur in verbo videri, quæ cunque à beatis dicuntur in verbo videri: hæc enim dicuntur, in cognitione cognoscuntur: hæc quia in re eorum sententia, in verbo videri, vel quia in re

dentur, ut simul cognoscatur connexio, quam res illæ cum Deo habent, vel quia videntur ab homine qui simul videt Deum: visionem enim rerum in intellectu beati videntias Deum vocant nonnulli visionem rerum in verbo, quo pacto loquitur *Caietan. in comment. huius artic. & auctores statim allegandi*. Sic igitur posse contingere illuminationem circa res, quæ in verbo hoc modo videri dicuntur, docent *Scotus dist. 9. q. 2. §. Ad aliam quæst. Bassolis qu. 1. §. Idem dicit, Aggidius qu. 1. art. 5. & Aureol. ut refert Capreolus quæst. citata art. 2. sub finem*: addunt tamen hanc illuminationem esse per simplicem veritatis propositionem. Ergo tamen existimo, posse etiam Angelos videntes Deum illuminari à superioribus non sola veritatis propositione, verum etiam, peculiari illo modo explanationis, de quo superiori cap. loquuti sumus, ceterum eas res, circa quas Angeli inferiores à superioribus illuminantur, preise & proprie non dici in verbo videri, quia rem aliquam in verbo videri, nihil aliud est, quam aut ex vi visionis diuinæ essentia, aut Deo reuelante cognosci, ut sup. disp. 50. cap. 7. ostensum est.

Secundo ex eadem doctrina colligitur, falsam esse sententiam Scoti & Bassolis in eo, quod statim docent de illuminatione Angelorum circa res, quas dicuntur in verbo videri: inquit enim, tribus modis Angelum illuminari. Primo quatenus Angelus rem illam audit ab alio Angelo loquente, illuminatio enim est locutio quædam, quare illuminari erit audire: hæc autem cognitio in eorum sententia ex vi folius auditionis tantum est credulitas quædam, superioris tamen rationis, quam humana credulitas: quia Angelus illuminatus videt superiorem Angelum, qui illuminat, mentiri non posse quia beatus est. Secundo quatenus ex hac auditione Angelus illuminatus conuertitur ad videndum rem illam in intellectu Angeli illuminantis: ex quo fit, ut desideret illam in Deo inquiri, & ita fit, tertia cognitio, quæ res illa dicitur in verbo videri. Hæc igitur doctrina in vniuersum mihi non probatur: commentitium enim mihi videtur, tot modos cognitionis commingisci: cum ex vi illuminationis & locutionis solum possit in Angelo illuminato generari assensus quidam credulitatis: neque aliud puto esse, cognoscere rem in mente Angeli illuminantis, quam ipsam audire. Porro licet hæc duæ cogitationes diuersæ essent, non videretur in doctrina Scoti ponenda alia cognitio rerum in verbo quia, ut supra retulimus, visionem in verbo ille appellat cogitationem rerum existentem in intellectu videte Deum, talis autem esset auditio. Denique quomodocumque Scotus dicat, auditionem contingere: etiam si Angelus inferior postea rem illam intelligat & cognoscat in mente superioris Angeli loquentis, nihilominus illa cognitio in mente alterius non potest excedere limites credulitatis. Quare neque ex illa secunda cognitione alia deinde superior, quam ipse vocauit visionem in verbo, oriri potest.

Tertio denique nota, inter demones secundum suam naturam consideratos virtutem esse, ut superior inferiorem illuminare possit explicando illi & diuidendo conceptum & intelligentiam quam habet, sicut optime docet *S. Doctor infra quæst. 109. artic. 3.* Ratio vero est manifestata: quia demones superiores habent eam naturalem

ingenij perspicacitatem, qua id præstare possint. Ceterum quia omnis illuminatio ordinatur ad Deum, hoc est fit de mysteriis à Deo reuelatis: & hæc non reuelat Deus demonibus: ideo negat S. Thomas vnum demonem illuminari ab alio.

Hactenus diximus, quo pacto per illuminationem vnus Angelus possit intellectum alterius aliquid diceremus: quia tamen, omnes absque controuersia fatentur, voluntatem à solo Deo moueri posse: ab Angelo vero, vel dæmone sola imaginationis immutatione, ideo de hac re amplius disserendum non est. Quo autem modo imaginatio, vel creatura corporalis ab Angelis virtute natua moueri possit, sequenti disputat. patebit.

DISPUT. CCXVIII.

An natura corporea & materialis Angelo obediatur ad quamcunque formam?

Materiam non obedire Angelo ad formam substantialem communis est omnium opinio. cap. 1.

Præcedens sententia ratione confirmatur. cap. 2.

Quam formam accidentalem Angelus possit in materia producere. cap. 3.

Quid possit Angelus aut demon in nostram imaginationem. cap. 4.

CAPVT I.

Materiam non obedire Angelo ad formam substantialem communis est omnium opinio.

Tria sunt nobis in hac controuersia examinanda. Primum est circa formam substantialem. Secundum circa accidentariam, in quacunque natura. Tertium est circa imaginationem hominis, & animantium, circa primum vero consors est Scholasticorum sententia asserentium; materiam non obedire Angelo ad formam substantialem, hoc est, non posse ab Angelo infundi aut produci formam substantialem in aliqua materia. Ita expresse docent S. Thom. infra q. 110. art. 2. Bonavent. in 2. dist. 8. 1. parte art. 2. qu. 2. Albert. dist. 7. art. 8. in corpore ad 3. Durand. qu. 4. Aggidius qu. 3. art. 1. Ricard. art. 4. q. 1. Scotus d. 8. q. vnicæ. In ista quæstione, ante me diu illius Thom. de Argent. q. 1. art. 2. Bassolis quæst. vnicæ. Scotus. Argent. Bassolis. Ferraricus. S. Quantum ad primam. Ferrar. 3. contra gent. cap. 103. addit Albertus, ea quæ sunt ex putredine terræ, & sponte generantur, fieri non posse ab Angelo, nisi natura ipsa adiuuet. Fuit etiam expressa sententia Aug. 3. de Trin. cap. 8. quem citat S. Thom. in Argument. Sed contra, ubi comparat Augustinus Angelos agricolis, qui plantis non tribuunt incrementum, sed solum seminant, aut alia, quæ necessaria sunt, applicat. Neque obstat quod Augustinus ibidem etiam hominem in generatione hominis comparat agricolæ: non enim ideo comparat, quia in omnibus eodem modo se habeat: sed quia semel deciso semine, iam amplius nihil operatur circa genitum, sicut nec agricola circa plantas: sed eatenus dicitur operari quatenus pars ab eo decisa operatur. Deus autem multo excellentiori ratione res omnes producit, quia in omnibus actu operatur. Adde etiam Ambrosium in libr. 1. de fide contra Arianos cap. 8. ubi asserit, ab Angelis, dum assumunt corpora, in quibus apparent, non mutari substantiam.